



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalivm Qvi  
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev  
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantùm ob  
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche posay, Henri-Louis Chasteigner de  
Tolosae, 1614**

A Martino V. Creati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10735**

Constantiensi confessu, eloquentiæ primas tulit, Patauii in Cathedrali cum hoc iacet Epitaphio.

Francisco Zabarella Florentiæ Archiepiscopo, viro optimo, virbi, atque orbi gratissimo, Diuini, humanique Iuris interpreti præstantissimo, in Cardinalium Collegium ob summam sapientiam cooptato, a eorumdem animis Pontifici prope Maximo, Ioanne 23. eius senatu abdicato ante Martinum quintum, ob singularem probitatem in Constantiensi Concilio destinato. Ioannes Iacobi viri clarissimi filius id monumenti ponendum curauit. Vixit annos 78. Obut Constantiæ anno 1417.

---

A MARTINO V. CREATI.

LVDOVICVS ALAMANNVS ex nobilibus d'Arban, Burgundus, Episcopus Macloviensis & Cardinalis, multa edidit opuscula, & quidem digna, ut refert author supplementi Chronicorum. Iacetque in Cathedrali Arelatensi cum hoc Epitaphio.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Et subito casu, quæ valuere ruunt.

Vnde, sicut Deo placuit, anno milleno quatercœtano, cum quinque deno, luce vero sextâ, mensis Septembris decimâ, bonæ memorie Reuerendus in Christo Pater, & Dominus Ludouicus Sacro-sanctæ Romanae Ecclesiæ tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis Arelatensis vulgariter nuncupatus, sacræ huius basilicæ administrator bene meritus & princeps, vitæ laudabilis, & conuersationis honestæ ad maius vocatus tribunal deuotè viam est uniuersæ carnis & catholicè ingressus. Orate pro eo ut eius anima requiescat in pace.

HENRICVS BEVVFORT Cardinalis Anglus, & Archiepiscopus Vvintoniensis, quædam scripsit, vt refert author Catalogi Scriptorum Angliæ. Obiit anno 1447. Vvintoniæ sepultus.

NICOLAVS ALBERGATVS Ciuis & Episcopus Bononiensis Ordinis Carthusianorum Cardinalis, ex cuius contubernio & Schola Nicolaus s. & Pius 2. Pontifices maximi prodiere, Purpuræ accessione nelatum quidem vnguem instituto decidere voluit: quinimo in ieiuniis supra morem frequens, verberum & cilicij, vt carnis cōtumaciam edomaret usum nullo non tempore obtinuit, studiaque maiore operâ repetiit, scripsit

Recollecta multæ lectionis.

De inexcusabili peccatoris nequitia.

Orationes ad Venetos, & Philippū Vicecomitem Mediolani Ducem pro pace.

Sermones multos.

Epistolasque eruditissimas, vt habet Petrus Sutor.

Obiit Senis an. 1443. Ibidemque in Ecclesia Carthusianorum sepultus est, cum hoc Epitaphio. Pogio Florentino in eius funere orante

*Sepulchrum omni laude dignissimi Reuerendissimi Patris Nicolai tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyteri Cardinalis. Hic natus Bononiæ primum ex Priore Carthusiense, petente populo Boniense, Episcopus tum à Martino quinto Pontifice factus, post plurimas suscepas, atque omnium commendatione peractas legationes, Senis diem suum obiit, ætatis sue anno 68. vir piissimus mitissimusque, vita integritate, singularique virtute omnium comprobatus.*

*Carthusiæ me terra tegit, quæ sumpsit alumnus.  
Ac dedit esse Patrem natuua Bononia tandem.*

M

Me sibi pastorem tenuit de iure vocatum.  
Cardinis Ecclesiae compulsus pondera sumpsit  
Et crucis in titulo mihi fulsis rubra Tiara.  
Mille quater centum denos quater egerat annos,  
Tres etiam cyclus solaris, dum Nicolaus  
Mente petens cælum sub saxo corpore claudor.

DOMINICVS CAPRANICA Romanus Cardina-  
lis, Capranicensis Collegij Romæ Institutor, Ænæam  
Syluium postea Pontificem Maximum à manu habuit  
qui vicos æmulâ retributione Angelum Capranicam  
Dominici fratrem Cardinalibus accensuit, scripsit

Introductorium de Pontificatu regendo.

De arte piè in Christo moriēdi materno idiomate.  
Orationem ad Alphonsum Neapolis Regem, quā  
habes apud Lucium Marinæum Siculum lib. XI  
de rebus Hispaniæ.

Epistolas ad Philelphum.

Et alia quædam. Obiit Romæ anno 1458. in Ec-  
clesia S. Mariæ super Mineruam cum hoc sepul-  
tus Epitaphio.

Sedente Paulo 2. Dominico Capranensi tituli S. Crucis in  
Ierusalem Presbytero Cardinali Antistiti Firmano Maiori Pœ-  
nitentiario, duodecim Apostolicis legationibus claro, Pacis Italicae  
in annos xxv. constitutori, doctrinâ, religione, & sanctis semper o-  
peribus admirabili, Angelus eiusdem tit. Cardinalis unanimi fra-  
tri, ac sibi commune monumentum hoc fecit. Vixit idem Dom. an-  
LVIII.

IULIANVS CÆSAR INVS Romanus, ex Episco-  
po Grossetano Cardinalis, cui Nicolaus de Cusa libros  
de Coniecturis, & de docta Ignorantia dicauit, Græce  
& latinè exacte doctus, vigili studio in diuinis literis  
plurimum desudauit, eamque frugem fecit, ut deliciis.

L

imperius, & impensis Pietati instandum ratus linteis,  
lineisque industiis omnino abstinuerit, scripsit

De potestate Concilii Basiliensis, cui Pontificis  
Legatus præsedidit.

Orationē ad Bohemorum Legatos inibi habitam.  
Epistolas, quarum aliquæ editæ sunt.

De processione Spiritus Sancti contra Græcos.

Eiusque disceptationes in Conciliis Ferrarensi &  
Florentino cum Marco Episcopo Ephesino ha-  
bitæ, eorumdem Conciliorum actis inditæ  
sunt. Hugariæ Legatus, cum se quibusuis ob-  
iectaret casibus duro Varnensi prælio Turcarū  
occubuit gladio; anno Christi 1444. ætatis suæ  
46.

**IOANNES CASANOVA** Arrago ord. Prædicato-  
rū Theologus, ex Episcopo Eluensi Cardinalis, scripsit  
De potestate Papæ supra Concilium, aduersus  
Conuentum Basiliensem

Et quædam in Theologia, ut author est Garimber-  
tus. Obiit Florentiæ an. 1436. Ibidem in Ec-  
clesia Prædicatorum sepultus.

#### *AB EVGENIO III. CREATI.*

**IOANNES** ex Comitibus Tagliacotij Neapolitanus,  
Cardinalis & maior Pœnitentiarius, Orationes duas ha-  
buit in Concilio Basiliensi; ut refert Ioannes Iuuensis  
lib. 8. de varia Tarentinorum Fortuna, multisque lega-  
tionibus integerrimè functus est. Romæ iacet in æde S.  
Augustini cum hoc Epitaphio.

*Felices animas inter micat iste Ioannes,  
Qui Tagliacotiae gloria gentis erat.*